



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 41. Turcarum classis ab Equitibus magna clade dispersa

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

fidei desertor esset. Hisce belli prælu-
 diis infidelium spem fallentibus, quidam Sæcul. XV.
 A C. 1480.
 militaris Architectus nomine Georgius
 Frapamus natione Germanus Turcis au-
 ctor fuit, ut Turrim S. Nicolai ad impres-
 sionem faciendam tormentis quaterent.
 Idem quoque postera die ad fossæ ur-
 bem cingentis oram e regione palatii,
 quod magnus Magister incolebat, acce-
 dit, atque in civitatem recipi postulat;
 id ubi obtinuit, obsessorum partibus ad-
 hære, urbisque salutem suæ fortunæ
 commodis præferre simulat; quare ma-
 gnus Magister hujus quidem viri opera, Chalcond.
 ibid. n. 27.
 nunquam tamen ejus fide utendum exi-
 stimabat, eumque velut exploratorem o-
 culis assidue in eum intentis observari, &
 per satellites conducere præcipiebat.

§. XLI.

*Turcarum classis ab Equitibus magna
 clade dispersa.*

Interim primi jaciuntur aggeres, quos
 Mesites Vezirius majoribus belli tor-
 mentis muniri jubet, moxque turris S. Ni-
 colai explosis grandioris plumbi globis
 concussa magnam partem ampla ruina
 fatiscebat. Civibus terrore ac metu pe-
 ne exanimatis Antonius Fradinus ex or-
 dine S. Francisci suis adhortationibus a-
 nimum reddidit, ac ferme eadem Rho-
 diis

Sæcul. XV.
A.C. 1480.

diis præstitit, quæ Joannes Capistranus olim Belgradienſibus pietatis officia impendit. Ipſe quoque Magnus Equitum Magiſter Albuſſenius urbis ſalutem a turris conſervatione plurimum dependere perſuaſus, totam noctem abſumpſit, ut ad ſuſtinendos Turcarum impetus turrim omni ope & opera muniret, quam ipſe cum ſuo fratre Montelii Comite tuendam ſuſcepit. Altera die Turcæ prope Montem S. Stephani revulſis anchoris ad turrim S. Nicolai ſonantibus tubis ac tympanis claſſem admovent, & ad terram expoſiti, incredibili furore ad oppugnationem procurrunt. Haud ſegnioreſ obſeſſi hinc miſſilibus ignibus, & tormentorum exploſionibus, illinc grandinantibus ſclopis, ac tubis, & undique volitantibus ſagittis & lapidibus irrumpentium Turcarum rabiem multo vulnere, ac promiſcua cæde plectunt. Præterea incendiariæ Chriſtianorum naves plurimas Turcarum triremes igne delebant, & emiſſæ ex urbe tormentorum glandes claſſem ingenti ruina diſpergebant.

§. XLII.

Magni Magiſtri cædes a Vezirio tentata.

Tandem Turcæ accepta clade pedem referunt, & præcipiti fuga Triremes ſuas